

sine quo nec salutis, nec promissorum bonorum compotes esse possumus. Eamdem necessitatem jam ante firmaverat L. 2. c. 3. (opp. t. 1. p. 374. 375.) *Multa, inquit, arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultro sibi ipsi persuadeant curationibus sacerdotum sese submittere... Itaque nihil eorum relinquendum est, quod probe non excutiat atque examinet Episcopus: quin omnia accurate ac studiose perscrutatum tum demum oportet illum sua ipsius remedia congrue, apte, accommodate afferre.* Hom. 30. in Genes. (opp. t. 4. p. 294. A.). *Quia, inquit, in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime et jejunii cursus intendendus, et magis continuandae sunt preces, faciendaeque diligens et pura peccatorum confessio; et inferius (p. 301. B.): Scit enim inimicus noster, quod per tempus illud possumus de iis, quae ad salutem nostram attinent, loqui, et peccata declarare seu aperire, et detegere vulnera medico; et sanitatem consequi.* Hom. de muliere Samaritana (al. homil. 33. vel 34. in Joan. opp. t. 8. p. 199. B.): *Eum, inquit, qui nos iudicaturus est, non reformidamus; eos vero qui nullatenus nos laedunt, perhorrescimus, et ignominiam ab ipsis inurendam reformidamus: Quapropter eo ipso quod timemus, penam sustinemus. Qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, neque poenitentiam agere; in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur.* Denique hom. 9. in epist. ad Hebr. (opp. t. 12. p. 98. B., 99. D., 100. A.): *Cujusmodi ergo est medicamentum poenitentiae et quomodo conficitur? primum, ex peccatorum suorum condemnatione et declaratione. Tum addit: Quod oporteat et se in sacerdotes, ut convenit, gerere. Tandem modum confitendi adducit: Sin autem dicit, sum peccator; ea autem per species non cogitat et supputat, et non dicit: hoc et illud peccatum admisi; nunquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis.*

Inst. 5. S. CHRYSOSTOMUS eos, qui per confessionem Deo interius factam a peccatis expurgati fuerint, videtur ab omni deinceps onere relevare; ergo non restat confessionis apud sacerdotes instituendae labor.

R. N. *Ant.* An non restabant poenitentiae privatae et publicae opera, quibus et justitiae divinae et Ecclesiae aedificationi satisfaceret? An sustulit etiam hac confessione Deo soli facta eleemosynas, quibus redimerentur peccata? An si quis aliena surripisset, ea restitui prohibuit? Quod si S. CHRYSOSTOMUS Deo soli confessos omni pudoris necessitate exemisse videtur; pudorem confessionis publicae intellexit, minime vero privatae: nam in hom. de muliere Samaritana, totum illud pudoris genus, quod divelli nequit a confessione privata, peccatoribus devorandum esse pronuntiat.

Inst. 6. Verba illa Apostoli 1. Cor. 11. v. 28. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, etc. Ecclesia Romana de confessione sacramentali interpretatur Sess. 13. Trid. c. 7., quasi haec sit necessaria probatio ad Eucharistiam sumendam. Atqui locum illum Pauli non ita accipit CHRYSOSTOMUS hom. 56., quae est 8. de Poenit. (al. 6. opp. t. 2. p. 326. B.) et hom. 28. in 1. Cor. (opp. t. 10. p. 250. E.) sed de examine privato; ergo non idem, quod Romana jam Ecclesia, de confessione sensit.

R. N. *Cons.* Accessuri ad S. Eucharistiam duplicem probationem instituere possunt, quarum prior communis est Christianis omnibus, scilicet expendere statum animi, num quid criminis aut pravi affectus ei inhæreat,

quo indignus quis sit, aut minus idoneus ad tantum mysterium capiendum. De hac probatione potissimum disserit B. CHRYSOSTOMUS, et Conc. TRIDENTINUM priore parte c. cit. Probationem hanc communem Christianis omnibus sequitur probatio altera peculiaris tantum eorum, quos criminis gravioris conscientia redarguit. Atque istos quidem a confessione publica immunes declarat S. Doctor dicta hom. 8. de Poenit. his verbis: *Non in commune theatrum accusationem producit, non delictorum testes statuit: intus in conscientia, adstante nemine praeter eum, qui cuncta videt, Deum, iudicium peccatorum statuens, reforma quod deliquisti: atque sic pura conscientia sacram attinge mensam.* Et hom. altera: *Neque jussit, ait, alteri alterum probare; sed sibi se ipsum, faciens iudicium, ad quod populo non pateat aditus, et probationem, quae careat testibus.* Adeo autem peccatores a privata confessione non eximit, ut ad veniam impetrandam enumeratione criminum singillatim sacerdoti faciendae opus esse plane asseveret, prout pluribus ex S. Patre testimonii prolatis demonstravimus nuper ad Inst. 4. Beatus autem CYPRIANUS vehementer invehitur in eos peccatores, qui ante actam poenitentiam et reconciliationem Ecclesiae ad communionem accedunt: imo et sacerdotes ipsos reprehendit, qui peccatores ad communionem facile admittunt ante perfectam satisfactionem, ut videre est epist. 10. 11. 12. 14. 18. et L. de Lapsis, et aliis locis frequenter. Idem sentit S. AUGUSTINUS epist. 118. c. 3. (al. epist. 54. ad Januarium) dicens, eum qui conscientia peccati mortalis gravatur, non suo, sed sacerdotis arbitrio debere ad hoc sacramentum accedere, vel ab eo abstinere. Et L. 50. hom. 35. alias 50. fuse hanc doctrinam exsequitur. Et Auctor libri de Ecclesiasticis Dogmatibus c. 53. (Patrol. t. 58. col. 994. B.) item scribit, criminis conscius sibi, *Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari debere, si vult non ad iudicium et condemnationem sui Eucharistiam percipere.* Clarius LEO M. epist. 91. cap. 2. (al. epist. 108. ad Theodor. episcop. opp. p. 1174.) *Mediator, inquit, Dei et hominum hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum, per januam reconciliationis admitterent.* Recte ergo Patres Concilii Tridentini dicunt: *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.*

ARTICULUS III.

UTRUM POENITENTIAE SACRAMENTUM DISTINGUATUR A BAPTISMO?

104. *Nota I.* Cum, ut scribit Sozomenus sup. cit., in nullo penitus peccare divinius cujusdam naturae sit, et humana praestantioris, lapsis vero post Baptismum spes veniae divinitus praebatur; reconciliationem istam Catholici per Poenitentiae sacramentum fieri docent, quod proinde secundam post naufragium tabulam appellant Tertullianus L. de Poenit., S. Hieronymus in c. 3. Isai. et epist. ad Demetriadem, alique Patres, et Theologi cum Magistro in 4. d. 14., S. Thoma q. 84. a. 6. Baptismus enim est prima tabula, quam in communi originalis peccati naufragio arripimus.

Nota II. Doctrinam istam Patrum antiquorum et Theologorum detestantur hæretici recentiores, ex quibus Lutherus L. de Captiv. Babyl. c. de Baptismo: *Præbuit, inquit, his opinionibus occasionem verbum illud periculosum D. Hieronymi, sive male positum, sive male intellectum, quo poenitentiam appellat secundam tabulam post naufragium; quasi vero Baptismus, non sit poenitentia.* Et Calvinus L. 4. Instit. c. 19. §. 17. majore adhuc impudentia in phrasin illam invehitur: *Sed dictum, inquit, est Hieronymi. Cujuscumque sit, quin plane impium sit, excusari nequit, si ex eorum sensu exponitur; quasi vero per peccatum deleatur Baptismus.* Secundum horum opinionem, Melanchthon in Locis editis anno 1521. et cæteri Novatores non aliud reconciliationis sacramentum admittunt, quam Baptismus, qui in confirmationem gratiæ et fiduciæ sigillum iis datus sit, qui poenitentiam meditantur, ut quoties de remissione peccatorum cogitant, illinc sese colligant, animumque recipiant et fidem confirmant, inquit Calvinus nuper citatus.

Baptismus cogitatione sic apprehensum et memoria repetitum, aiunt, affatim sufficere ad culpas omnes et earum pœnas tam perfecte remittendas, quam culpæ et reatus peccatorum præcedentium Baptismo ipso remittebantur. Ex hujus mysterii ignoratione ortum fuisse inter Catholicos commentitium poenitentiae sacramentum, docet Calvinus L. 4. Instit. c. 15. §. 4. et cum aliis hæreticis carpit Concilium Tridentinum, quod velit, difficiliorem ac duriorum esse poenitentiae reconciliationem, quam fuerat in Baptismo.

105. *Dico.* Poenitentia est sacramentum omnino distinctum a Baptismo. Ita Concilium Trident. Sess. 14. c. 2. ubi anathema dicitur confundentibus baptismum cum poenitentiae sacramento.

Prob. I. Ex SCRIPTURA. Memoria circumcisionis neminem olim circumcisorum a peccatis expiabat, sed præscripta erant alia media, nimirum sacrificia, ut constat Lev. 4. 5. et 6. Ergo nec memoria Baptismi tollet peccata Christianorum; cum hic sit sacramentum ἀντιτυπον circumcisioni, circumcisio spiritualis et non manu facta, ut Colos. 2. v. 11. nuncupatur.

Apostolus item Hebr. 6. v. 4. dicens, esse impossibile, eos qui semel sunt illuminati, h. e. baptizati, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, non negat lapsos post baptismum posse Deo per Ecclesiam reconciliari, ut falso colligunt Novatiani, quia constat incestuosum Corinthium reconciliatum esse; sed negat, posse renovari per baptismum, ut textus ipse, et Patres communiter declarant.

Denique Luc. 12. v. 47. et 48. ait: *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, et non fecit, vapulabit multis: qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* At juxta hæreticorum opinionem, qui scienter post fidem et baptismum peccaverunt, essent pares iis, qui ignoranter in incredulitate ante baptismum deliquerunt: imò melioris conditionis hisce illi essent, eo quod facilius sit, baptismum olim acceptum reminisci, quam re ipsa iterum baptizari. Quæ quam absurda sint, nemo non videt.

Prob. II. Ex PATRIBUS. Patres poenitentiam appellant secundam post naufragium tabulam. TERTULLIANUS de Poenitentia c. 7. vocat insuper post baptismum secundam spem et secunda subsidia: atque ibidem c. 9. cum Patribus cæteris docet, cum ante baptismum facillimus sit aditus ad indulgentiam, postea vero ad remissionem peccatorum non perveniri, nisi per multos

labores, orationes, jejunia. Ita CLEMENS Alexandrinus apud Eusebium L. 3. histor. c. 17. alias 23., CYPRIANUS sermone de lapsis, GREGORIUS Nazianzenus orat. in SS. lumina, PACIANUS epist. 1. ad Sympronianum, HIERONYMUS nuper cit., EPIPHANIUS Hæresi 59.; a quibus etiam nuncupatur baptismus laboriosus et lacrymarum.

AUGUSTINUS epist. 23. ad Bonifacium (al. epist. 98.): *Semel perceptam parvulus Christi gratiam non amittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus evaserit. Tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferuntur, sed alia curatione sanantur.* Et L. 2. de adult. conjug. cap. 16. n. 16. *Si a catechumeno factum est homicidium, baptismate abluitur: si a baptizato, poenitentia et reconciliatione sanatur.* Et homil. 50. Lib. 50. hom. (al. serm. 351. c. 4. n. 7.) de expiatione peccatorum a baptismo admissorum loquens, in hac, inquit, poenitentia majorem in se quisque severitatem exercere debet, ut a se ipso judicatus non judicetur a Deo.

Patrum plura testimonia hactenus in decursu hujus tractatus adducta catholicam veritatem eandem luculenter probant.

Prob. III. Ratione, quam CONC. TRIDENTINUM cap. 2. Sess. 14. a quadruplici genere causarum repetit. Nam præterquam quod materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet; constat certe, baptismi ministrum judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de his, qui foris sunt, judicare? Secus est de domesticis fidei... Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint... ante hoc tribunal (Poenitentiae) tanquam reos (Christus) sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam... possint liberari. Alius est præterea baptismi, alius poenitentiae fructus: per baptismum enim Christum induentes nova prorsus in illo efficiuntur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum poenitentiae, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, etc.

Deinde si baptismi iterata memoria obsignaret promissionem reconciliationis, ut hæretici volunt; ergo contra suam doctrinam, de sua justificatione certi esse non possunt: nam cum infantes ipsi baptizati fuerint, non nisi ex alieno testimonio norunt se esse baptizatos.

Denique non potest dici, quod baptismus illico cum confertur jam deleat peccata omnia futura; alias nemo catholicorum et hæreticorum damnabitur: neque quod tum illa purget, cum reminiscendo per fidem et poenitentiam ad signum et fœdus baptismi cogitatione reditur; alias incerta, ut dixi, erit justificatio: neque ratio apparet, cur sublata Eucharistiæ frequentatione, non sufficiat spiritualis cibi aliquando gustati memoria.

106. *Obj.* Baptismus per peccatum non deletur; ergo semper potest esse utilis ad tollenda peccata; ergo non est necessarium novum sacramentum poenitentiae.

R. In sententia hæreticorum *N. Ant.* Tria in baptismo considerari possunt, actio externa baptizandi, gratia justificans et character. Actio externa transit, gratia per peccatum tollitur, characterem hæretici non admittunt. Igitur in sententia hæreticorum nihil baptismi post peccatum superest.

Inst. 1. Licet actio baptismi desierit, manet tamen perpetuum pactum in baptismo inter Deum et nos ininitum, quod consistit in hac Christi promissione, Marci ult. v. 16. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* ergo ratione hujus potest esse utilis baptismus, si in memoriam revocetur, et excitetur fides divinarum promissionum de venia peccatorum per Christum danda. Nam hoc eodem medio Judæi reconciliabantur Deo, si recordabantur fœderis in circumcissione cum Deo initi, et egressionis ex Ægypto.

R. N. *Cons.* Pactum in baptismo ininitum est tantum conditionatum, non autem promissio absoluta, ut Patres omnes hucusque intellexerunt, ac præsertim GREGORIUS M. homil. 29. in Evang. (opp. t. 1. p. 1570. C.) loquitur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet.* Neque B. Petrus Simonem magum ad recordationem baptismi remisit Act. 8. v. 22. sed ait: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: et roga Deum, etc.*

Israelitæ solebant in memoriam revocare pactum cum Deo ininitum, et egressionem ex Ægypto; non quod ea commemoratione purgarentur a peccato, sed ut recordatione beneficiorum Dei, suæque inconstantia et ingratitude ad pœnitentiam excitarentur, atque ita divinam elementiam exorarent. Deinde satis jam refutatus est error hæreticorum, qui putant sola fide divinarum promissionum remitti peccata, et consequenter sacramenta ad hoc non conferre, nisi excitando fidem. Denique baptismus præteritus non potest excitare fidem, sed inquiri oportet objectum aliud, quo et fides in nobis, et suscepti olim baptismi memoria excitetur.

Inst. 2. Apostolus Ephes. 5. v. 26. solum dicit, mundari Ecclesiam lavacro aquæ. Et S. FULGENTIUS L. de fide ad Petrum c. 30. seu regula 30. vocat baptismum sacramentum fidei et pœnitentiæ; ergo non opus est alio pœnitentiæ sacramento.

R. N. *Cons.* Loquitur Apostolus tantum de modo, quo regenerantur et mundantur Ecclesiæ membra, quando ad illam aggregantur. Multum autem discriminis est inter generationem spiritualem, qua vitam supernaturalem amissam recuperamus: illud fit per baptisma, hoc per pœnitentiam. S. FULGENTIUS recte appellat baptismum sacramentum fidei et pœnitentiæ; ad illum enim catechumeni etiam per pœnitentiam disponuntur, secundum B. Petri adhortationem Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Et c. 11. v. 18. *Ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

Inst. 3. S. Scriptura effectum baptismi per tempus præsens, præteritum et futurum describit: Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* 1. Pet. 3. v. 21. *Salvos facit baptisma.* Marc. ult. v. 16. *Qui baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo habet vim purgandi peccata præterita, præsentia, et futura.

R. N. *Cons.* Baptismus peccata habitualia tam originale, quam personalia, quæ invenit, expurgat: ad futura autem peccata vim suam minime exerit. Sacra Scriptura vero tres temporis differentias ideo exprimit, cum de baptismo agit, quia in iis qui olim baptizabantur peccata delevit, et delet

etiamnum in iis qui baptizantur, ac delebit deinceps in iis qui adhuc baptizabuntur.

Inst. 4. B. AUGUSTINUS L. 1. de Nuptiis et concup. c. 33. n. 38. scribit, per baptismum non solum præterita et præsentia peccata remitti, sed etiam illa, quæ posteriori tempore committuntur.

R. S. Doctor vult remitti peccata sequentia solum dispositive per effectus baptismi, qui sunt gratia et character: per gratiam evadit homo justus, qui facile se venialibus peccatis expedit: per characterem fit idoneus ad sacramenta cætera, ac per fidem in baptismo acceptam excitatur ad pœnitentiam, qua peccatorum omnium remissionem consequitur. Fanatico autem hæreticorum sensui S. Augustinum adversari, liquet ex iis quæ supra retulimus, quibus L. 5. de Bapt. c. 22. n. 30. addit, Christianum in peccata lapsam non sanari per baptismum, sed per veram conversionem.

ARTICULUS IV.

QUIBUS PARTIBUS HOC SACRAMENTUM CONSTET?

107. *Nota.* Duplex hic quæstio movetur: I. Utrum pœnitentia more aliorum sacramentorum constet ex partibus essentialibus, quarum altera se habeat per modum materiæ, altera tanquam forma? Nam Scotus in 4. d. 14. q. 4. totam sacramenti hujus essentialiam in verbis absolutionis reponit, ac d. 16. q. 1. diserte negat, contritionem et confessionem sacramenti hujus partes esse; licet actum utrumque dicat prærequiri, eo quod sententia ferri nequeat non cognita causa. Scoti sententiam amplectuntur nonnulli, ut Joan. Major, et Gabriel, quæst. 2. definiens pœnitentiæ sacramentum esse *absolutionem hominis pœnitentis, etc.*

Hisce e diametro adversatur Dom. Sotus in 4. d. 14. q. 1. a. 1. aperte negans, absolutionem esse partem hujus sacramenti: unde videtur totam ejus rationem in contritione et confessione statuere, et absolutionem ut necessariam perfectionem seu complementum pœnitentiæ æstimare, inductus B. Thomæ auctoritate, qui q. 84. a. 1. ad 2. ait, sacerdotem absolvendo dare complementum huic sacramento.

II. Quæritur item, ex quibus partibus pœnitentiæ sacramenti materia confletur? Ubi Durandus in 4. d. 16. q. 1. confessionem solam putat sacramenti hujus esse materiam, quia contritio, etsi ante omnino requiratur, sensibilis non est: neque satisfactio ad essentialiam aut effectum sacramenti absolute desideratur. Probant hanc opinionem Gabriel dist. 14. a. 2. et quoad satisfactionem Marsilius q. 10. a. 1. Communiter tamen a Theologis aliis contritio, confessio et satisfactio numerantur tanquam partes materiales, et proximæ, ex quibus materia sacramenti pœnitentiæ tanquam ex partibus integrantibus constet.

Dixi, has esse partes proximæ, et ex quibus: nam peccata, quorum se pœnitens accusat, sæpe dicuntur materia pœnitentiæ, non quidem talis ex qua hoc sacramentum, ut ex ligno statua, conficiatur, sed quia sunt objectum et materia circa quam sacramentum hoc versatur: sicut crimen aut quælibet causa alia dicitur materia judicii. Est ergo tantum remota sacra-